

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Eidem

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

stis. Si irasci uolet uictor omnibus, quorum reperiuntur literæ significantes uoluntatem non alienã à nostris Ecclesijs, aut principibus: nimis durus erit in uictoria. Iulius totos literarum fascēs, priusquàm legerentur, iussit cremari. Idem uictoris clementiam deceret. Bene ualete, in Pentecoste 3056.

ANNO 47.

Eidem.

S. D. Reuerende uir, & amice charissime: Et si gratulari debemus ijs qui in inuocatione filij Dei ex his miserijs ad cœlestis Ecclesiæ consuetudinem euocantur: tamen Reipublicæ causa dolendum est, bonos & utiles uiros à gubernatione abduci. Gregorium dilexi propter multas eius uirtutes, & doleo Rempublicam eius ingenio orbatam esse. De uestris decretis quid scribã? Opto Ecclesiæ piã tranquillitatem, & spero Illustrissimũ Principem quædam mitigaturum esse. Nondum scripsi de Canone, impeditus alijs negocijs. Adolescentẽ filium consulis commendaui uiro docto Franco. Illyrici libellum mitto. Mitto et filio uestro orationes, quarum ei lectio non inutilis est. Bene ualete, idibus Martijs, quibus ante annos 1592 Iulius interfectus est: quo exemplo Deus nos monuit, ut in secundis rebus moderati simus, & petamus nos diuinitis regi. Serua ò Deus miseram Ecclesiæ tuæ reliquias, inuocantes te, & gementes propter superbiam pontificum,

r s ficum,

ficum, qui ueritatem delere conantur. Opitulare o
Deus, ueritati tuae. 1548.

Eidem.

S. D. Venerãde domine Georgi: Non sum Stoi-
cus, nec fatali necessitate tantum iudico nos in has
miserias incidisse, in quibus sumus: sed accersi poe-
nas nostræ culpa, multo antè & uidi, & dolui. Se-
pe optavi, ut & doctores & principes Ecclesie et
sibi melius cõsulerent: idq; adhuc opto. Etsi autem
nunc in tam calamitosa euentu necesse est me mul-
to maiore dolore adfici: tamen me ijs consolationi-
bus, quas Deus nobis tradidit, utcumq; sustento. Eo
etiam minor est animi mei consternatio & con-
fustio, quòd mihi conscius sum, me in his publicis di-
scordijs nihil quæsiuisse, nisi ut rectè explicata ex-
taret doctrina. Illustrissimo Principi Electori Mar-
chioni reuerenter meis uerbis gratias agite, quòd
hospitiũ mihi clementer offert, quo usurum me esse
spero, postquam Lutheri uiduam & liberos alicu-
bi collocauero. Illa me secuta est Brunswigã, ac la-
chrymans petijt sibi nidum aliquẽ queri. Moueor
pietate, & debere nos gratitudinem Lutherò iudi-
co: quare eam Regi Danico commendari cupio. Be-
ne ualete: die sexto Maij, Brunswigæ.

Eidem.

S. D. Scio in hoc tanto tumultu diuersa iudi-
cia